

fectum, unum ex Auditoribus S. Rotæ, unum ex Clericis Camerae et Oeconomum Fabricæ, qui secretarii Congregationis munere fungeretur.

120. Hujus S. Congregationis scopus et officium juxta primitivam institutionem multiplex est. Primo quidem advigilare debet, ut dispositiones ad pias causas sive inter vivos factæ, sive per actum ultimæ voluntatis executioni mandentur, simulque facultatem habet applicandi Fabricæ s. Petri fructus decursos, qui in aliquod pium opus erogari debuissent. Secundo eidem Fabricæ applicare potest pias dispositiones incertas necnon eas, quæ pro incerto opere factæ reperiuntur. Tertio potest item applicare Fabricæ s. Petri legata ad pium opus determinatum complendum, quæ effectu carent ob insufficientiam bonorum adsignatorum, et bona hujusmodi cum injusto lucro penes hæredem remanent. Quarto eidem Fabricæ applicare potest bona relicta vel attributa Ecclesiis, locis piis vel personis, quæ ex instituto acquirendi et possidendi incapaces existunt, ex. gr. Capuccini, Minores observantes etc. Quinto S. Congregatio videre potest et decernere de causis nullitatis contractuum alienationis bonorum pertinentium ad quælibet pia loca et Fabricæ s. Petri applicare fructus male perceptos, quoties contractus initi fuerint sine Beneplacito Apostolico. Hæc omnia late exposita legantur a Cardinali De Luca in *Relat. Curiae Discursu 20. n. 1. et seqq.*

121. Ut autem muneri suo rite S. Congregatio satisfaceret, solita fuit in variis provinciis suos Commissarios constituere qui proprium et coactivum tribunal pro quæstionibus in prima instantia decidendis habebant, et a quorum sententia ad ipsam Congregationem urbanam appellari poterat. Præterea iisdem Commissariis, qui curare debebant in propria provincia legatorum piorum observantiam, juxta Edictum generale diei 16. Augusti 1788, Notarii et tabulariorum custodes manifestare tenebantur dispositiones omnes, sive inter vivos, sive mortis causa favore locorum piorum in propriis actis relatas.

122. Insuper pro ditione temporali Summi Pontificis habebatur Romæ speciale tribunal quod tribunal Fabricæ S. Petri nuncupabatur, quodque juris ordine servato in causis spectantibus ad administrationem ejusdem Fabricæ in via contentiosa jus dicebat. Et quidem tribunal hujusmodi crimina etiam coercebat, quæ sive in ipsa Basilica S. Petri sive in locis conterminis patrabantur.

Hæc servabantur juxta primævam Congregationis et tribunalis Fabricæ institutionem.

123. At tractu temporis res aliquantisper immutata est etiam in ipsa Ditione temporali S. Sedis. Nam Ecclesiam gubernante Pio IX. s. mem. anno 1863 abolitum fuit præfatum tribunal, et simul Commissariorum munus cessavit. Remansit vero, et adhuc existit Congregatio Fabricæ S. Petri constans ex aliquibus Cardinalibus, et secretario, qui simul œconomi ejusdem Fabricæ munus gerit. Porro hujus S. Congregationis Præfectus hodie est ipse Cardinalis Archipresbyter Basilicæ S. Petri, dum antea actis temporibus, teste Cardinali De Luca *loco cit. n. 5.*, præfecturam antiquior ejusdem Congregationis Cardinalis gerere videbatur.

124. Congregationis istius Officium ordinarium in hodierna praxi est, ut in via gratiosa suas facultates circa legata pia et præsertim onera missarum exercent. Et quidem negotia quæ in hoc genere a Congregatione tractantur et expediuntur, duplicis præsertim sunt speciei. Videlicet 1º. solet S. Congregatio fideles oratores, qui oneribus legatorum piorum gravantur, ad compositionem ex justis causis admittere quoad præteritas omissiones, eos nempe absolvendo imposita ipsis solutione discretæ summæ pecuniæ favore Fabricæ S. Petri, necnon rationalibus item causis concurrentibus, ipsa onera quoad futurum reducere solet et Episcopis exposcentibus ad tempus facultatem concedere onera reducendi. Pariter ad aliam Ecclesiam vel altare onera missarum transfert, itemque ultra duos menses conciliares celebrationem missarum manualium differt, dummodo dies celebrationis non fuerit a fidelibus eleemosynam offerentibus designatus. 2º. Eadem S. Congregatio admittere et probare solet redemptionem ipsorum legatorum piorum, prævia tamen solutione in manibus Ordinarii capitalis summæ, quam ipse Ordinarius fructiferam efficere, ejusque titulum custodire, necnon ex redditibus inde provenientibus legati pii satisfactionem quotannis curare debet. Qui plura desiderat, consulat Cardinalis De Luca in *cit. Discursu*, nec non Nicolai Mariæ de Nicolais opus, cui titulus *De Vaticana Basilica Divi Petri ac de ejusdem Privilegiis.*

#### De Sacra Congregatione Visitationis Apostolicæ.

125. Hæc S. Congregatio operam suam Summo Pontifici præstat, non quidem in regimine Ecclesiæ universalis, sed in officio episcopali quod ille gerit in Urbe Roma, ejusque Diœcesano di-

strictu. Cum enim Summus Pontifex ob curam, quæ ei incumbit, totam Ecclesiam Christi gubernandi, visitationem Ecclesiarum Urbis per se ipsum complere non posset, Urbanus VIII. opportunum duxit peculiarem Congregationem constituere, quæ huic muneri vice Pontificis satisfaceret. Componitur hæc S. Congregatio ex aliquibus Cardinalibus, ex Secretario qui inter Prælatos eligi solet et ex consultoribus. Præfecturam hujus Congregationis sibi solet Summus Pontifex reservare. Cardinalis autem Urbis Vicarius nomine et officio Præsidis ejusdem decoratur.

126. Antiquitus, teste Cardinali de Luca *De Relat. Curie Rom. Disc. 24. n. 5.* visitatio localis in Ecclesiis Urbis complebatur ab uno ex Cardinalibus ad Congregationem pertinentibus qui coadjutorem habebat unum ex Prælatibus juxta distributionem ab ipsa Congregatione designatam; in Ecclesiis autem Districtus ab aliquibus Prælatibus deputatis visitatio fiebat. Ultima visitatio localis in Urbe peracta fuit jussu Leonis XII.

127. Hodie autem S. Congregatio, licet per delegatas personas Ecclesias et loca pia non visitet; tamen diligenti cura advigilat, ut onera pia fideliter impleantur. Exquirunt enim a rectoribus Ecclesiarum et locorum piorum quotannis libros onerum Missarum, et Capellaniarum, et postquam eos examini subjecerit, relativum decretum conficit. Insuper S. Congregatio advigilat ut Capellaniarum et Legatorum piorum dos conservetur et rite administretur, nec non consulit piis foundationibus, quas fideles noviter instituere velint. Ipsa etiam in Urbe taxam diœcesanam eleemosynæ Missarum determinat, et antiqua onera ob redituum imminutionem reducit, præteritasque omissiones, justa accedente causa, sanat, supplendo de thesauro Ecclesiæ.

128. Præterea eadem S. Congregatio resolvit quæstiones circa Capellanas et Legata pia Urbis, quæ in contentione partium agitantur. Quæstiones autem hujusmodi in prima instantia tractantur et decernuntur in Congregatione Consultorum una cum Cardinali Præsidente, et in gradu appellationis videntur et resolvuntur a Congregatione generali Cardinalium.

**De S. Congregatione a negotiis ecclesiasticis extraordinariis nuncupata.**

129. Cardinalis De Luca *Rel. Rom. Curie Disc. V. nn. 23. et 24.* hæc habet: 'In Consistorio Papa cum Cardinalibus agit de gravioribus Sedis Apostolicæ et Ecclesiæ universalis vel Princi-

pum spiritualibus ac temporalibus negotiis juxta eorum qualitatem et circumstantias; cumque non semper expediat de illis publice coram omnibus Cardinalibus loqui, hinc isto casu Papa pro eorundem negotiorum consultatione et directione *aliquorum Cardinalium particularem Congregationem* deputare solet, quæ *status* dicitur; istaque proinde non est Congregatio fixa et continua, sicut sunt aliæ . . . sed in singulis occurrentiis particulariter deputari solet, variando in qualibet Cardinales, aliosque ministros pro negotiorum qualitate, vel temporum opportunitate'.

130. At nostra fere ætate, cum quotidie difficultates in relationibus inter S. Sedem et civilia gubernia excrescerent, præsertim vero ob infelicem rerum ecclesiasticarum conditionem in Gallia sub finem elapsi et initium labentis sæculi, cumque mos tractandi ordinario modo graviora negotia in Consistorio non amplius expedire videretur; necesse fuit fixam et ordinariam Cardinalium Congregationem instituere, quæ locum prioris extraordinariæ Congregationis, de qua loquitur Cardinalis De Luca, occuparet. Hujus novæ Congregationis exordium repeti potest a Congregatione particulari, quam Pius VI. circa annum 1793 instituit *super negotiis ecclesiasticis Regni Galliarum*; ex dispositione autem et mandato Pii VII. paulo post assumptionem ad Pontificatum instituta est Congregatio quæ etiam aliorum Regnorum et regionum curam gereret, et generaliori nuncupatione dicta est Congregatio *a negotiis ecclesiasticis extraordinariis*.

131. Hæc Congregatio perduravit usque ad annum 1809, quo tempore sanctissimus ille Pontifex ab urbe Roma per vim fuit avulsus. Anno autem 1814 vertente, post felicem in Urbem reditum, Pius VII. eandem Congregationem restituit, et ea ad præsens perseverat. Componitur hæc Congregatio ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus a Summo Pontifice electis, Secretario et pluribus Consultoribus, qui doctrina ecclesiastica vel saltem peritia in negotiis expediendis maxime commendantur. Officia hujus Congregationis, ob intimam relationem cum Secretaria Status, apud eandem, distincta tamen sectione, sedem obtinent.

Hæc Congregatio dies fixos non habet, sed frequenter quidem adunatur, quoties pro gravioribus emergentibus negotiis vel quæstionibus expendendis necessarium videatur. Et quidem Summus Pontifex ex Cardinalibus ad S. Congregationem pertinentibus, juxta

negotii tractandi qualitatem, modo alios et modo alios, aliquando autem etiam omnes convocare solet. Unde aliqua ratione servatur mos antiquæ Congregationis *Status*, de qua Cardinalis de Luca meminit.

132. Magnæ autem utilitatis pro Ecclesiæ spirituali regimine est Congregatio hujusmodi; ea enim viam et modum negotia graviora juxta veritatis simul et prudentiæ principia expediendi Sanctæ Sedi proponit et explicat, necnon solemnes conventiones, vulgo concordata, cum summis principibus et guberniis, antequam inean- tur, examinat.

Præterea eadem S. Congregatio negotia omnia ecclesiastica pro regionibus Imperio Russico subjectis, necnon pro regionibus Americæ meridionalis exclusive pertractat eodem modo, quo S. Congregatio de Propaganda Fide pro locis missionum. Unde quoad dictas regiones etiam concedit in rebus ecclesiasticis facultates et indulta.

#### De Sacra Congregatione studiis regundis præposita.

133. Cum Ecclesia jus habeat vigilantiam exercendi in literaria et scientifica fidelium institutione, ne præsertim juvenes erroribus contra doctrinam fidei et morum imbuantur incaute, cumque in rebus sacris præcipue Ecclesia curare debeat, ne veritas et puritas fidei deturpetur; hinc Ecclesia jus sibi merito vindicavit studiorum provinciam dirigendi et moderandi. Et quidem Ecclesia totis viribus operam dedit, ut humaniores literæ et scientiæ utiliter docerentur. Quare dum studia in Europa ferme tacerent, in Ecclesiis Cathedralibus scholasticum idest magistrum constituit (*Decret. Gregorii IX. tit. De Magistris*) et scholas tum in Capitulis tum in Monasteriis fundavit et fovit. Ex scholis autem hujusmodi Bononiæ primum, et deinde Parisiis Universitates studiorum sub protectione Romani Pontificis ortæ sunt et floruerunt. Aliæ paulo posterius Universitates ad instar istarum institutæ sunt in aliquibus civitatibus Italiæ, Galliarum, Angliæ et Germaniæ, et omnes institutionis decretum a Romano Pontifice impetrarunt. Unde gradus academicus Magisterii seu Doctoratus a Romano Pontifice concessione et auctoritate originem habuit. Cfr. *Walter (Manuale del Diritto Ecclesiastico* §§ 338. 339. 340.)

134. Ut vero studiorum ratio tutius procederet, et competens simulque ordinarium tribunal studiis rite moderandis haberetur,

Romæ peculiaris Congregatio huic scopo inserviens a Sixto V. in sæpe cit. *Const. Immensa* instituta est. Ea constat ex aliquibus S. R. E. Cardinalibus, quorum unus præfecturam Congregationis exercet, simulque habet Secretarium inter Prælatos electum.

Magna erat hujus Sacræ Congregationis potestas præsertim in Ditione temporali S. Sedis juxta *Const. Leonis XII. Quod divina Sapiencia*; ab eaque omnes studiorum Universitates dependebant.

135. Mutatis temporum conditionibus, præcipuum munus hodie huic Congregationi competens est, ut expendat et approbet erectiones in variis regionibus novarum Universitatum Catholicarum, eisque leges et normas tradat tum in ordine ad cathedras constituendas, tum pro gradibus academicis conferendis; nec non resolvendi quæstiones, quæ circa jura et privilegia singularum Universitatum catholicarum jam erectarum exurgunt.

#### De Sacra Congregatione Cæremoniali.

136. Hæc S. Congregatio instituta fuit a Sixto V. in *Const. Immensa*, et habita est ceu participatio et derivatio S. Congregationis Rituum. Componitur ex aliquibus Cardinalibus, et Cardinalis Sacri Collegii Decanus præfecturam ejus gerit. Ad Secretarii munus obeundum unus ex Magistris Cæremoniarum Palatii Apostolici assumitur, cæteri vero Magistri Cæremoniarum Consultorum officium obtinent.

137. Hæc S. Congregatio vigilantiam et curam exercet circa ritus et cæremonias tum sacras tum civiles, quæ in Curia Romani Pontificis observantur, et circa jura personarum ad easdem cæremonias relativa. Quare hæc S. Congregatio advigilat ut leges sacre liturgiæ in publicis functionibus papalibus custodiantur et rite impleantur. Resolvit quæstiones respicientes præeminentiam inter Cardinales, inter Prælatos, nec non inter alias personas, quæ jus habent sacris functionibus papalibus assistendi. Præterea hæc Congregatio regulas in solempni præsentatione, seu accessu summorum Principum eorumque Legatorum ad Romanum Pontificem servandas constituit. Quare dum hæc præsentatio locum habet, Secretarius Congregationis cæremonialis præsens adest in Palatio Apostolico, et advigilat, ut omnia rite procedant.

138. Insuper idem Secretarius novis Cardinalibus communicat oportunas instructiones in ordine ad actus solemnes proprios

Dignitatis Cardinalatus, et relate ad formulas adhibendas in epistolis, quas aliis Cardinalibus et Summis Principibus scribere solent. Idem pariter Secretarius allegatis et nobilibus viris electis inter milites personali custodiæ et tuitioni Summi Pontificis destinatos communicat instructiones circa ritus et cæremonias servandas tum ab ipsis tum a Cardinalibus extra Curiam noviter creatis in occasione, qua eisdem Cardinalibus insignia Cardinalatus tradunt. Qui ampliores notitias de ista Congregatione desiderat, conferre poterit auctorem *Lunadoro* in opere *Relazione della Corte di Roma tom. II.*

#### De S. Congregatione super Examine Episcoporum.

139. Inter qualitates a sacris canonibus et a Concilio Tridentino *sess. 22. cap. 2. de Ref.* pro Episcopis eligendis requisitas, scientia competens adnumeratur. Hinc juxta tridentinos patres nec sufficere videtur simplex gradus academicus magisterii in Sacra Theologia vel in jure canonico, sed requiritur ut promovendus ad Episcopatum gradum hujusmodi *merito* sit assecutus. Huic canonice dispositioni inhærens Clemens VIII. pro Italia et insulis adjacentibus peculiarem Congregationem instituit, cujus officium est, electum in Episcopum examini subicere, et ejus in doctrina tum theologica, tum canonica peritiam experiri. Hæc Congregatio componitur ex aliquibus Cardinalibus, et aliquibus examinadoribus in re theologica, et aliis Cardinalibus et examinadoribus in materia sacrorum canonum. Habet insuper Secretarium inter Prælatos electum.

140. Hæc S. Congregatio adhuc in pleno suo juridico valore existit, nec ulla Constitutio vel decretum contrarium editum est; attamen nostris temporibus ob peculiare difficultates et incommoda, quibus Ecclesia premitur, prudens consilium in facto tantum susceptum est, ut novi Episcopi examini doctrinarum non subiciantur.

Verum ut Ecclesiis Italiæ idonei pastores præficiantur a Summo Pontifice Leone XIII. restituta est sequens Congregatio.

#### De S. Congregatione de eligendis Episcopis.

141. Hanc S. Congregationem primus instituit Innocentius XI. et de ea agit Cardinalis De Luca in suo opere *'Il Cardinale pratico' cap. 34.* Congregatio hujusmodi tractu temporis ab opere ces-

savit; eam tamen in pristinum restituit Benedictus XIV. edita Const. *Ad Apostolicæ* die 16. Octobris an. 1740 eamque componi voluit ex quinque Cardinalibus et Prælato Auditore summi Pontificis pro tempore, qui Secretarii munere fungeretur. Ut autem Congregatio tutius procederet, et veritatem circa qualitates eligendorum facilius detegeret, membris ejusdem obligationem imposuit servandi secretum ad instar S. Congregationis supremæ et universalis inquisitionis. Hæc vero Congregatio difficultates non paucas passa est, insurgentibus contra ipsam, ut fertur, Cardinalibus regnorum protectoribus, qui Episcopos respectivæ nationis in Consistorio proponere solebant. Quare ab ipsa Benedicti XIV. ætate tacere coacta est, et Nunciis Apostolicis Prælatoque Auditori Summi Pontificis munus incubuit processum conficiendi circa qualitates nominati vel electi ad dignitatem episcopalem nec non circa conditionem Ecclesiæ vacantis, juxta tenorem Decreti *Si processus Urbani VIII.* editi anno 1627.

142. At mutatis temporum circumstantiis, et cognita opportunitate, pristinam Congregationem juxta formam Benedictinæ Constitutionis *Ad Apostolicæ* pro Italia restituit SS. D. N. Leo XIII. qui Cardinales quinque nominavit, suum Auditorem Secretarium constituit, duosque alios officiales coadjutores adjunxit cum lege servandi secretum, nec non normas practicas probavit, quibus inquisitio circa personas earumque qualitates quam tutissime perficeretur. Porro hujus Congregationis salutare effectus in electionibus Episcoporum, quæ passim fiunt in Italia, jam læti conspiciuntur. Hæc vero S. Congregatio munus habet inquirendi et expendendi qualitates promovendorum, ac proinde ipsam electionem personarum præcedit. Electione autem personæ facta per Summum Pontificem, solitum processum conficit Prælatum Auditor ejus juxta normas in Decreto cit. Urbani VIII. designatas.

#### De S. Congregatione super residentia Episcoporum.

143. Quoniam Concilium Tridentinum *sess. 6. c. 1. sess. 23. c. 1. de Ref.* legis residentie observantiam Episcopis tantopere inculcaverat; Urbano VIII. opportunum visum fuit specialem Congregationem erigere, quæ huic negotio curando præficeretur. Hanc Congregationem summus ille Pontifex instituit per suam Constit. *S. Synodus* editam die 12. Decembris 1634. Benedictus XIV. vero in sua Const. *Ad Universæ* diei 3. Septembris 1746 statuit, ut

officium Congregationis Præfecti gereret Cardinalis Urbis Vicarius, et Secretarii munus obiret ipse S. Congregationis Concilii pro tempore Secretarius.

Scopus hujus S. Congregationis fuit vigilantiam exercere circa observantiam legis residentiae Episcoporum, contra delinquentes procedere, nec non videre et expendere petitiones Episcoporum et rationes ab eis propositas ad obtinendum indultum absentiae a Diocesi ultra tres menses, qui ex concessione tridentina *sess. 23. c. 1. de Ref.* conciliares vocantur.

144. Usque ad nostra fere tempora S. hæc Congregatio constabat ex sex Cardinalibus; hodie quidem remanet adhuc titulus Congregationis, verum in facto solus adest Cardinalis Urbis Vicarius, titulo Præfecti decoratus, et Secretarius Congregationis Concilii, qui munere Secretarii fungitur. Hi autem duo negotia ad Sacram Congregationem super residentia Episcoporum pertinentia pertractant. Quare ipsi petitiones Episcoporum pro indulto absentiae recipiunt, alteruter ex eis rem Summo Pontifici defert, et rescripta relativa ad absentiam a Cardinali Urbis Vicario expediuntur.

145. Tandem in præsentia materia mentio facienda est nuperimæ cujusdam ordinationis SS. D. N. Leonis XIII. Hic sapientissimus Pontifex statim ac Petri Cathedram ascendit, oculos suos ad Romanæ Curiae Prælatos convertit, rationemque investigare studuit, qua præsules urbani Sanctæ Sedi in Ecclesiæ universalis regimine operam suam impendere possent, simulque proprium ingenium in re canonica excolere, et peritiam sive in ecclesiasticis negotiis pertractandis, sive in quæstionibus dirimendis sibi comparare valerent.

Quare, jubente Pontifice, Secretariæ Status mandatum prodiit, quo Sacris Congregationibus Episcoporum et Regularium, Concilii et Propagandæ Fidei singillatim adjuncti fuerunt plures Prælati, quibus commissum fuit munus causas examinandi et discutiendi coram Cardinali Præfecto et Secretario respectivæ Congregationis et suffragium consultivum emittendi antequam causæ in generali Cardinalium conventu discutiendæ et definiendæ proponantur.

146. Specialis autem ratio habita est tribunali S. R. Rotæ. Siquidem Collegium Auditorum sub respectu veri tribunalis conservatum est, ita ut operam suam penes S. Rituum Congregationem exhibeat, quæstionesque collegialiter cum voto deliberativo

decidat circa valorem juridicum processuum, qui in causis beatificationis et canonizationis Servorum Dei conficiuntur. Præterea eidem tribunali S. Rotæ concessum est, ut juris ordine servato quæstiones in via contentiosa resolvat, quæ super præeminentia vel aliis juribus inter ecclesiasticas personas exortæ, et eidem S. Rituum Congregationi competentes, ipsi tribunali expendendæ et definiendæ a Cardinali Congregationis Præfecto remittuntur.

### De juribus Patriarcharum.

147. Potestas patriarchalis ex humana institutione derivat; hinc tanti valet, quantum Patriarchis concessum est ab Ecclesia *c. 9. h. t.* Hisce positis nonnulla principia exhibemus.

1º. Primum ac veluti fundamentale jus Patriarcharum est ut in provinciis patriarchatus habeant jurisdictionem ordinariam supra Episcopos omnes, etiam Metropolitanos *c. 23. De Privileg.* Quod jus antiquitus secumferebat etiam potestatem deponendi suffraganeos suos, quemadmodum deducitur ex *c. 6. dist. 65. et can. 6. dist. 22.* Verum animadvertunt auctores hoc privilegium evanuisse etiam ante Concilium Tridentinum; sed certe disparuit post ejusdem Conc. Tridentini dispositionem in *c. 8. sess. 13. de Ref.* et *c. 5. sess. 24. de Ref.* ubi depositiones Episcoporum reservantur Rom. Pontifici.

2º. Confirmabant Archiepiscopos electos, qui Romanæ Sedi non immediate subiciebantur. Hoc autem jure uti non poterant, nisi postquam acceperant a Romano Pontifice pallium et præstitissent fidelitatis et obedientiæ jusjurandum. Pallium concedebant Metropolitanis ab iisdem recipientes pro se professionem canonicam, et pro Romano Pontifice obedientiæ sponsionem *cit. c. 23. De Privil.*

3º. Patriarcha in jure constituitur judex in tertio gradu appellationis, pro causis quæ tractantur in prima instantia penes Curiam episcopalem et in secundo gradu appellationis pro causis quæ in prima instantia in Curia metropolitana tractantur, ex *cit. c. 23. de Privil. ex can. 1. dist. 99.* et clarius ex *c. 9. h. t.* Immo juxta aliquos auctores, poterat a sententia Episcopi, omisso medio gradu, appellari ad Tribunal Patriarchæ.

4º. Patriarchæ supplebant negligentiam Metropolitanorum in visitatione Dioceseos *c. Cum ex Officii 16. de Præscript.* et in collatione beneficiorum *c. 3. De suppl. neglig. Prælat.* Immo

dispensabant cum Episcopo vel alio collatore sibi subjecto, qui ob malam collationem beneficiorum fuerat suspensus in Conc. provinciali *c. 29. de Præb. et Dign.*

5°. Recipiebant querelas contra Archiepiscopos non exemptos.

6°. Peculiare fuit ab antiquitate, ceu Christianus Lupus in Scholiis et Notis Concilior. ostendit, penes Patriarchas Orientis privilegium, quod jus Stauropegii appellabatur, et in hoc consistebat ut in Monasterii fundatione Patriarcha si voluisset, potuisset Crucem figere, et consequenter ad illum actum Monasterium de novo erectum subtrahebat ab jurisdictione Episcopi suffraganei, sibi que immediate subiciebat.

148. Quod spectat ad honores. Antiquitus Patriarchæ sedebant et incedebant immediate post Romanum Pontificem ante S. R. E. Cardinales. Verum etiam hoc privilegium honoris mutationem passum est, cum Cardinales considerati fuerint ceu membra unius corporis morales cujus caput est Rom. Pontifex. Primum ergo locum occupant Patriarchæ post Cardinales. Insignia autem Patriarchatus sunt Pallium et Crux quæ ipsis incedentibus præfertur *cit. c. 23. de Privil.* — Porro jura, quæ exposuimus, respiciunt Patriarchas majores.

149. Jamvero post schisma in Oriente Patriarchæ majores amplius non considerantur in jure canonico, et solum tituli servantur, qui aliquibus Episcopis Ecclesiæ Occidentalis conferuntur. Restitutus solummodo est ut vidimus Patriarcha Hierosolymitanus latinus ritus per *Const. Pii IX. Nulla celebrior* diei 22. Julii 1847. At uti ex dispositione hujus Constitutionis patet, huic Patriarchæ fuerunt concessa jura solummodo metropolitana.

150. Si sermo sit de aliis Patriarchis pro variis ritibus in Oriente statutis, de quibus supra mentionem fecimus, privilegia et jura determinantur ex Constitutionibus Apostolicis quibus institutæ sunt istæ Sedes Patriarchales, et ex rationabilibus consuetudinibus locorum. Dependent Patriarchæ hujusmodi a s. Congregat. de Propaganda Fide.

151. Præter Patriarchas majores, dantur etiam, uti vidimus, in Occidente minores Patriarchæ. Hi a Doctoribus æquiparantur Primatibus. Porro Primates non sunt nisi potentiores Archiepiscopi qui in principalioribus Urbibus regnorum et nationum sedem habent. Antiquitus jurisdictione pollebant supra Archiepiscopos et Episcopos regni aut nationis, et quoad subditos eorundem videre

poterant causas in gradu appellationis *c. 9. h. t.* Hodie vero, exceptis synodis nationalibus, quas forte possunt convocare et iisdem præesse, nihil aliud iisdem remanet, nisi quidam primatus honoris inter alios Episcopos et Archiepiscopos regni et nationis, et vigilantia ut observentur leges ecclesiasticæ statutæ pro integro regno vel natione, et jura ecclesiastica regni vel nationis custodiantur illæsa.

### De juribus Archiepiscoporum seu Metropolitanorum.

152. Archiepiscopus vel Metropolitanus in Diocesi propria consideratur tanquam verus Episcopus; hinc relate ad subditos suæ Dioceseos habet eadem jura, eademque obligationes, quas habent ceteri Episcopi in propriis Diocesisibus. Relate ad Dioceses suffraganeorum suorum jurisdictio Archiepiscopi est quidem Ordinaria et propria; nam Sedi archiepiscopali adnexa est. Hæc vero jurisdictio non est juris divini, sed humani, idest ex Ecclesiæ concessionem procedit. Quare quoad hanc jurisdictionem valet principium, ut tantum possit Archiepiscopus, quantum fuerit a jure concessum *c. 15. de temporib. ordin. c. ult. de Filiis Presbyt.* Idem etiam insinuat in *c. 1. de supplen. neglig. Prælat. in 6. in c. 4. de jurejur. et in c. 8. de Rebus Eccl. alien. vel non.* Et contra vero quoad Episcopos aliud valet principium; ut nempe in propria Diocesi omnia possint exceptis iis, quæ vel a lege generali vel ex Superioris voluntate fuerint reservata. Ratio est, quia auctoritas episcopalis censetur propria et originaria, a divina ipsa institutione et non ab humana concessionem seu delegationem dimanans; quæque cum ad regendam et gubernandam Diocesim dirigatur, limites per se non cognoscit, nisi præfigantur ab auctoritate suprema, a qua potestas episcopalis ex vi ejusdem divinæ institutionis dependet et coarctari potest, licet destrui non possit.

153. De potestate Archiepiscopi in sua provincia, et primo quidem de hac potestate relate ad personas ipsas Episcoporum suffraganeorum.

Non loquimur de jure Metropolitanum confirmandi electos suffraganeos suæ provinciæ, quod habebat jure Decretalium ceu patet, aliis omissis, ex *capp. 20. et 32. de Elect.* Nam collationes Ecclesiarum Cathedralium reservantur Romano Pontifici, et moribus hodiernis propositio Sedis Cathedralis in Consistorio locum tenet Confirmationis. Nec loquimur de jure Metropolitanum consecrandi suffra-